



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Circa paupertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

tionem, cum omni indifferentia, & submissione, sine turbatione *NB. animi*, eas Superiori proponat.

Circa paupertatem.

AN facile victui, vestitui, habitationi, ut voluntarios in Christo pauperes decet, acquiescat, superflua, pretiosa non petat, nec naturæ grata, nisi præmissâ oratione, & sincerâ intentione; an quæ contraria sunt commodis corporis, vel iis, quæ natura appetit, non obstante naturæ reluctantiâ amplectatur lubens, vel conatus sit ad id se incitare; an è contrario viliora, aut naturæ repugnantia horreat ac fugiat, ideòque, si obtingant, facile murmuret, an quid dederit, acceperit sine licentia, & in rebus concessis etiam laboret spiritu proprietatis, utendo iis secundum prudentiam carnis, vel saltem aliter, ac decet pauperem Religiosum. An difficultas, si quam sentit in experimentis paupertatis, sit ex superbia, pusillanimitate, morbo, sensualitate fomenta carnis ac corporis quærente; an pronus sit in querelas, lamenta, dum hoc illud denegatur; an vera sit necessitas, vel amor proprius prætexat necessitatem hoc illud habendi. Demum, an studuerit perfectioni paupertatis secundum institutum nostrum acquirendæ adhibitâ oratione, lectione, examine, mortificatione in- & externâ, & fugiat ac horreat omnes laxas sententias, effugia, & mala principia Sensualistarum.